DISSERTATIO MEDICA

DE

CRUSTA LACTEA,

Vulgo

Vom Ansprunge/

QVAM

Supremi Numinis gratia,

Illustris Collegii Medici autoritate atque consensu in florentissima Salana,

PRÆSIDE

JACOBO Wolff/Phil. & Med. D.P.P.

& Academiæ Leopoldino-Imperatoriæ

ADIUNCTO

Dn. Patrono & Præceptore perpetim devenerando,

publico eruditorum examini subjicit

AUTOR

GODOFREDUS SCULTZIUS,

Altenburgensis Misnicus,

In acroaterio MEDICORUM

d. April. Anni gratiæ Christianæ CIƆ IƆCVIIC.

JENÆ,

EX OFFICINA JOHANNIS GOLLNERI.



IN NOMINE JESU ARCHIATRI SUMMI!

PROOEMIUM.



Vantumvis infantum & puerorum morbos curandos communiter ad domesticam Medicinam trahant matres familias & mulierculæ, in qvo negotio Medici non rarò connivent, aut primam istarum personarum instantiam non expungere pollent, aut aliis imperitis permittunt infantum curationes, pertæsi quandoque sorditiei circa infantes observandæ, ejulatus pusionum, aut Synedrii anilis & cunas gubernantium judiciorum & scommatum; Licet inquam, pertæsi illorum Medici committant medica istusmodi negotia illis personis; non pauci tamen errores, morte infantum inclarescentes, sæpe ex ista licentia emergunt, quos periti & versati Medici alioquin declinare, miserosque illos infantes à morte liberare valuissent. Sed hæc errorum vulgarium classem fortassis constituent & conservabunt imposterum, & Threnodiam similem (ac Mindererus olim meditatus est de varia tyrannide & præfracta imperitorum in Medicina licentia) posteris nostris continuandam relinquent. Novimus etiam leves quosdam affectus corporis Medicos quospiam morborum nomine vix dignos reputare, eosque susque deque habere, juxta illud Juris peritorum: QVOD MINIMA NON CVRET PRÆTOR. Verum flebilis experientia & eventus non rarò comprobat magnorum morborum esse levia principia; Nequaquam ergò ille canon in Medicorum territorio tolerandus est, ne serò minusque

prudenter Medici, neglectu quopiam delinquentes, ingemiſcere teneantur miſeram illam vocem: NON PUTARAM. Cruſtam lacteam quoque non rarò pro critico bonoque abſcesſu puerulorum reputant, quæ ab aliis malis illos liberet, minusque curandam cenſent. Aſt tædium, aliaque mala, quæ fœtore aliisque ſuis attributis, & exitu exitioſo interdum infert cruſta lactea, certè Medici majorem curam, & cautionem antevertentem iſthæc, jure poſceret ſive admitteret. Proinde Medicus pudori minimè ſibi ducere debet infantilium morborum curationem, eorumque peritiam comparare, quæ certe majori induſtriâ & στοχασμῶ indiget, quam adultis hominibus adhibenda Medicina, quia puſiones fando aliisque indiciis accuratis & deſideratis non indicare valent morborum ſuorum ſedem, ſive affectum locum & cauſas. Propterea nos non arbitramur erroris incuſandos, qvod præſenti exercitio vires noſtras tentemus, & animum diſcendi cupidum ſignificemus, ab aliis verò erudiendi, & ad meliora nos ducendi animum promptum, benignum, & humanum expetamus atque expectemus.

Tu Deus alme bonis noſtris his annue cæptis!

Tractatio ipſa.

§. 1. Qvia à nominis explicatione communiter, teſte *Galeno l. 3. de ſimpl. Med. facult. c. 12.* omnem diſcurſum exordiri conſvetum eſt, merito nobis primo inquirendum videtur, quid thematis noſtri nomen ſignificet.

§. 2. Cruſta lactea vox merè latina eſt, eaque à corio (criticorum qvorundam opinione) quaſi coruſta deducta & dicta eſt, quod in illo ſive cute fortaſſis oriatur, nec adeò difformem ipſius conditionem oſtendat, ſi aliqua ipſius mutatio accedat.

§. 3. Synonyma hujus mali in autoribus occurrunt plu-

plura: *ἑλκύδριον Galeno 1. de compos. med. cap. ultimo* denotat ulcerosam pustulam in capite. Alii autores tamen eam vocem papillis sive pustulis parvis exprimunt. *ψύδραξ ἢ ψυδράκιον* sunt pustulæ duræ subalbidæ, qvæ expressæ saniem reddunt. Scabies capitis, item porrigo à quibusdam vocatur illud malum, qvamvis utraque vox ab *aliis* notis & limitibus includatur. Alias achor, & tunc quidem, quando tantum caput, nec aliæ partes, ejusmodi crustosa scabie affectum est; favus est, in quo majora & magis conspicua foramina quam in achoribus reperiuntur. Dicitur autem hanc ob causam favus, (nam proprie competit hoc nomen operi apum, in quod mel recondunt, quia est ulcus, multis foraminibus pervium, ex quibus promanat humor instar mellis; favus & cerion unum idemque significant. Αχῶρες vocantur à Celso manantia capitis ulcera, quæ originem suam sumunt inde, quia non amplum χῶρον, locum, occupant, sed angustis spatiis sunt conclusi. Achores dicuntur apud Arabes sahafati, velut constat ex *Avicenna & Plinio.* Morbus hic etiam Latumus, fortassis Barbaro nomine, ab Italica voce Lattime sive lactumine vocatur à Marcello Cumano Obs. medic. 13. Constat præterea, qvod tinea extremam istius crustæ fætidæ speciem denotet. A Monspeliensibus la rasque vocatur achor, uti constat ex *Hucheri de sterilitate p. 861.* Germanis nostris der Ansprung in facie præsertim; fliessende Köpfe/ oder ein Grind/ Test oder Ausschlagen/ außfahren am Kopfe/ Gesichte oder Leibe ꝛc.

§. 4. Communiter vocatur hoc malum crusta lactea sive lactumina. Crusta verò de variis rebus alioquin prædicatur: ne dicam de cute crustosa in animalibus, vel qvæ crusta dura sunt obducta, unde in divisione animalium certa species crustacea seu crustata appellatur. Ita quoque in panificio crusta panis vel placentarum nota est extima illa-

rum pars durior, veluti crustula, & harum pistores crustularii, mensæ secundæ, palatoque materiam non ingratam præparantes, innotuerunt. Crusta item sumitur pro cuticula, qvæ in rebus fluidis, imo etiam solidis ex qvadam congelatione vel concentratione indurari & sæpe summum locum in operibus qvibusdam Chimicis solet occupare. Præterea significat Medicis idem sæpe qvod eschara, quæ ulceribus in summa parte qvasi operculum adnascitur, & quidem vel sponte sua, vel quando in cute à medicamentorum causticorum, ideò escharotica dictorum, eadem excitatur. Hoc autem loco notat vox crustæ ulcera & tubercula, non tantum faciem, sed etiam totum corpus quandoque occupantia. Lactea verò, specifico qvodam epithetô addito, illa ulcuscula sive lactumina ideò dicuntur, quia crusta magis albicat, & infantes tempore lactationis magis corripit; item quia malum hoc præcipuè à lacte impuro sive recrementitiis particulis pleno oritur, uti prolixius paulò, quando de causis agetur, videbimus. Qvibus modis verò ampliùs malum hoc ab aliis exanthematibus sive ulceribus crustatis discrepet, constabit ex jam tradenda descriptione.

§. 5. Atque ita explicatô hactenus nomine aliqvatenus, ejus definitionem sistimus talem: *Crusta lactea seu lactumina sunt ulcuscula latiora infantum præsertim, nec solum in capitis, sed & interdum in universi corporis externis partibus vel cute, scabroso tegmine albicante apparentia, & pruritum molestum sæpe inferentia, sive à causa externa cutem rodente, sive humoribus præsertim vitiosis, acribus ac mordacibus corporis initium & incrementa, vitiosamque suam saniem contrahentia &, interdum illam fundentia.*

§ 6. Genus dicti affectus constituunt ulcuscula externa, ideoque ad tertium morborum summum genus pertinent scilicet solutæ unitatis, & quidem quatenus in molli-

bus

bus partibus obſervari iſta ſolent. Poſſunt tamen etiam admorbos conformationis referri, quod tumor conjunctus ſit, & eam ob cauſam ſunt affectus compoſiti ad conformationem & ſolutionem continui pertinentes.

§. 7. Ne diutius moremur in expoſitione differentiæ ſpecificæ, quatenus malum hoc noſtrum limitibus certis incluſum deſciſcit ab aliis variis ulcuſculis aut puſtulis cutis, videlicet ſcabie, pſora, variolis, anthracibus, tinea, elephantiaſi, phlyctæna, ſudaminibus, varis, ſironibus &c. ideoque properabimus ad alia.

§. 8. Ut pauca proferamus de ſubjecto, malum iſtud oſtendente, cutis cum cuticula, nobis etiam tacentibus, nota eſt, quæ malum iſtud contractum varia ratione maximè ſiſtit oculis. De glandulis ſubcutaneis vitioſo ſucco turgentibus, & exanthemata iſtiusmodi (præſertim in capite ac facie, uti & pectore, brachiis aliisve partibus, contagii propagati adminiculo, ſæpe protrudentibus aut alentibus) de his & ſimilibus inter cauſas tradendas plura innoteſcent. Inter differentias item agimus de ætate, quatenus teneros vel infantes præſertim, porro pueros, ac tandem & adultæ magis ætatis perſonas turpat.

§. 9. Cauſa immediata ab Autoribus veteribus & recentioribus varia accuſatur. *Galenus* vocat eam humorem acrem, ſeroſum, mordacem craſſo admiſtum. *Avenzoar* dicit hæc ulcera fieri ex bile acri una cum modica craſſitie. *Paulus Ægineta* cauſam facit pituitam nitroſam & ⊖ſam. *Alexander Trallianus* hæc ulcera voluit fieri interdum ex pituita, interdum vero ex melancholia. Et *Samuel Haſenrefferus in noſodochii L. 1. cap. 13. p. 94.* inquit: malum hoc naſcitur ab humore acri ſalſo & mordaci ex impuritate lactis, eoque vitioſo contracto *& cap. 17. pag. 143.* ubi conjungit ulcera capitis, ortum eorum derivat ex humore melancho-

cholico pravo & vitioso, cui aliquid bilis vel acris alterius alicujus humoris sit permixtum, qui ad cutim capitis effusus eam unà cum radicibus pilorum erodat & corrumpat: *Ettmullerus in valetud. infantil. p. 26. & Dolæus in encyclop. l. 6. c. 11. p. 1021.* adscribit causam vitio lymphæ nimis sive p. n. acidæ plus minus simul viscidæ. Non male hujus mali formam describit *Sylvius Prax. appendic. tract. 1. c. 8. §. 9. p. 614. dum* humorem acrem, & si gustes, aciditatis admistæ notas præbentem accusat, quin ad salsedinem muriaticam tendentem, in infantibus peccantem, & ad corporis superficiem cum circulante sangvine propulsum, qui subsistens tenaci atque glutinosâ suâ qualitate partibus adhæreat, concrescat, crustam contrahat, & indusiis aliisque vestimentis proximis accrescat, & facilè abrumpatur, si dictæ vestes avellantur, nisi humectando illas qvis cautè demat, unde alioquin novi humoris & sangvinis effluvium, crustæ alius ortus, vel ut vestibus iterum cutis adhæreat, adminiculum metuendum est; quod curationis loco notandum laudatus *Sylvius* inculcat l. a.

§. 10. Verùm horum autorum aliorumve sententias penitius examinare supersedemus, quia facile tandem inter se possunt conciliari, modò recte intelligantur, atque ideò demum nostram sententiam addimus, ubi statuimus & accusamus serum copiosum & depravatum salsum, modo dilutum magis modò minus salibus instructum, & consequenter acre & erodens redditum, quocunque modô effluxum sibi illud per cutim parans malum istud crustosum cum pruritu mordicante tandem ejiciat, uti Magnificus *D. D. Wedelius* Patronus & præceptor meus æternum devenerandus in lectionibus suis nos instruxit.

§. 11. Contrahitur porro malum illud nonraro in utero, uti & extra eum; in utero qvippe vel ex impuro matris

tris sangvine ac humore illo amnii, qvo fœtus alitur, vel ex vitioso utriusqve parentis, sive etiam alterius saltem semine, veluti hæreditariorum malorum doctrina & exempla nobis fidem faciunt de similibus malis propagandis. Deinceps extra uterum oritur malum vitio lactis, qvod infantibus pabulum præbet; major occasio post hæc quoque accedit à prava voracitate tam nutricum, quam infantum, præsertim ciborum salitorum, & qui crustæ isti ortus & augmenti ansam præbere possunt. Quod autem lac nutricum, si vitiosum sit, ulcera infantum pariat, *Galenus Lib. 3. de alim. facult. cap. 15.* propriâ experientiâ & historiâ quadam alicujus nutricis testatur. Qvando igitur tales humores acres, mordaces in corporibus infantum sunt collecti, cutim erodunt, excitant pruritum, & dum ungvibus scalpturiendo solari satagunt suum dolorem infantes, non solum exulcerant partes, portamque humori turgenti aperiunt, sed & sic prius malum crustosum interdum dementes, novam infelicem illius segetem, & latius sæpe serpentem, diffundunt. Primam enim non rarò causam hujus crustæ frictio subministrat, si ad illam frictionem ungves irritent vel cogant hærentes in cute sordes mordentes, quæ a sudore, attactu manuum impurarum aliaque ratione cuti illatæ fuerunt.

§. 12. Inter remotiores causas nostræ crustæ lacteæ considerandæ res n. n. occurrunt, ubi primum considerandus est 🜁, cujus ratione simul attendenda veniunt tempus anni & regio: Sic hyeme utplurimum hæc ulcera abundant, uti *Avicenna* scriptum reliquit; quanquam & reliqua tempora, ver, æstas &c. etiam talia proferant. Namque 🜁 frigidus poros cutis claudit & acrium fuliginum exhalationem impedit, qvæ dum colliguntur in parte qvadam mordicando provocant frictionem, exulcerantem cutim, unde porrò exaggeratus ichor crustam, & sub ea saniem morda-

cem

cem contrahit & cum ſuis aliis adjunctis efficit. Sunt qvoqve regiones aliqvæ, qvæ videntur proprietate qvadam proventum horum morborum citius erogare; *Hucherus de ſterilitate p. 747.* ſcribit aphthas Gallicanis pueris & ſeptentrionalibus raro moleſtas eſſe, ob lactis nutricum frigiditatem & humiditatem; ſed aphtharum loco ſolidatione multa puſtulis, præterea & ulceribus circa totam faciem caputqve ſerpentibus infeſtari.

§. 13. Qvod ætatem attinet, non negari poteſt, infantilem ætatem, & adhuc à mammis nutricum pendentem maximè infeſtare malum hoc; veruntamen etiam pueri, mulieres & viri lactuminum non ſemper ſunt immunes, qui acriùs & moleſtiùs agitantur, ſi acri magis ac impurô ſerô abundent; veluti contagiô interdum etiam illi à ſuis liberis illud malum contrahere poſſunt. Cur autem pueri maximè hoc vitiô laborent, cauſa eſt, uti etiam antea diximus, quia ex utero matris multis & variis excrementis repleti prodeunt in lucem hanc, veluti ideô partim cruſtoso illô in cute efflorescente malô, partim aliis modis interdum natura ſe exonerare annititur in tenera ejusmodi ætate.

§. 14. Prodit autem vitioſa illa accuſata materia ichoroſa potiſſimum per caput, quia maximè humidum eſt inter reliquas corporis partes, veluti de fontanella in vertice ſeu bregmatis loco notum eſt. Eò citius quoque metuendum eſt illud malum, qvia capiti infantes citius manus impuras ſcalpendo admovere atque hac ratione ortum & progresſum iſtius mali ſiſtere valent. Provehitur hoc vitium in pueris ſæpe etiam vitio lactis nutricis, uti jam dictum eſt. Similiter infantes interdum ſunt admodum voraces, & ſic plura excrementa, quæ alias per tranſpirationem excludi debent, colliguntur, quæ in ambitu corporis reten-

retenta corrumpuntur, unde acrimoniam & tandem exitum illum acquirunt. Si accedant his jam allatis qvies corporis, humorumque motus denegatus, (qvi alioquin cunarum usu, non planè temnendo, promovetur) & aërfrigidus transpirationem insensibilem impediens, citiùs itidem malum illud emerget & promovebitur. Huc facit insimul vitiosa pusionum internorum viscerum constitutio & temperies, quæsi non ritè concoqvunt assumta, necseparant & ex corpore inutilia tempori expelluntur, hinc consequenter mali illius causam haud difficulter colligunt.

§. 15. Neglectus corporis cultus, intermissum balneum, vel lotio necessaria producere potest pariter hoc malum, nam nulla scabiei & cutis defædationum major est nutricula quam sordities, nec hostis cutaneorum malorum major quam mundities. Proinde scabies fortassis certorum opificum, eorumque ministrorum maximus aut frequens character dicitur & existit; quatenus labes illa oritur à sudore (vivo quandoque reddito) mordicante, & ad frictionem irritante. Quoniam enim sqvalida illorum est cutis, & indusia immunda, quibus illi diutius amicti sunt, vel quia illi sæpius salitô siccôqve victu & paucô potu utuntur, nec non vitam sedentariam agunt, hinc cutim prurientem, & scabiem facile contrahunt, nec non contagiô deinde propagant in suos consortes, æque ac studiosi humanarum literarum, de qua materia *Excell. Dominus Præses in dissertationibus de literatorum potu & cerevisia Numburgensi* fusius egit.

§. 16. Contagium non immerito inter causas nostri affectus numeratur, quatenus viscidus, tenax & mordax humor ex crusta lactea, levi sæpe illius principio, manans ab ungvibus, alias partes scalpentibus, sivè à vestibus, aliôve modo corpori communicatur, unde simili modô aliæ partes integræ corrumpuntur, idem malum propagatur, & in eis præcipuè subjectis, quæ ad eum affectum promtè recipien-

 dum

dum ſunt diſpoſita. Contagium illud etiam liqvet ex hoc, quia nutrices afficiuntur interdum his affectibus à pueris, quos lactant. Si quoque ſqualor iſte cutis & lactea cruſta anſam, pabulum, vel latibulum præbeat pediculis, eo major pruritus, frictio, & mali propagatio metuenda eſt.

§. 17. Differentia etiam lactuminum ſive dictorum capitis ulcerum qvædam obſervatur; nam ulcera capitis alia ſunt ſicca, alia humida, uti Magnificus *D.D.Wedel.* in prælectionibus ſuis nos docuit. Atque ita conveniunt aliqvo modo lactumina cum ſcabie communi non ignota; veluti uterque affectus ſubinde contagioſus obſervatur, nec planè diſſimilibus remediis curatur; retropulſa item lactumina paria interdum, & triſtia inferunt æque ſymptomata, atque ſcabies. Sicuti ſcabiei notæ duplici, humidæ vel ſiccæ reſpondet lactuminum geminus ſtatus, ita hæc à natura ſcabiei non admodum recedunt, & ſcabies capitis à quibusdam dicuntur. Propinqvius vero lactumina ad humidam ſcabiem accedunt, & ſub ſe achores & favos continent, humore nempe magis turgentes ac ſcatentes. Inter hos duos affectus poſtremos autem talis differentia à quibusdam ſtatuitur, quod in achoribus foramina ſint minora, in favis vero majora.

§. 18. Ratione ſubjecti differunt lactumina, quatenus illa interdum ſolos aut præcipuè infantes & pueros, quandoque etiam adultos infeſtant. Quoad tempus durationis, alia ſunt recentia, alia inveterata. Ratione ſitus alia ſuperficiaria, alia profunda, & ſi malus mos à lue Gallica, vel ſcorbuto, hujus privigno vel agnato, accedat, majori cum periculo vel exitu tragico eadem ſunt conjuncta. Ratione figuræ & magnitudinis alia magna, alia exigua, tumida iterum alia magis, alia minùs talia ſunt. Quod colorem attinet, rubra etiam apparet interdum cruſta, quæ in infanti-

bus

bus alias albicat, si scilicet scalpuriunt locum affectum, ut cruor emanet, qui deinceps crustæ sese immiscet, eamque tali rubedine tingit. Propter symptomata alia sunt indolentia, alia verò cum inflammatione, calore & dolore, sive pruritu magis juncta; imò non raro invisos inquilinos pediculos eadem lactumina capitis condunt. Ratione moris denique benigniora plurima, periculosiora alia existunt, uti antea aliquo modo hoc attigimus.

§. 19. Reperitur quæpiam species crustæ lacteæ exiguæ in labiis vel pinnis narium, criticè abscessus in modum in febribus subinde erumpens, illarumque finem, non rarò bonæ instar notæ prædicens, ac brevi tempore iterum sine ope medica evanescens. De simili efflorescente crusta lactea vulgi querela sæpe auditur, quod à terriculamentis spectris, vel afflatu ac terrore eorum subitaneo incussô ortum ducat; quod malum fortassis post ejusmodi leves febriles insultus & horrorem, (cum falso conceptu vel imaginatione de spectris orta) critici instar abscessus dicti, ex illis locis erumpit. Alia verò illa species latiorem locum in capite aliisve locis obsidens, uti majora symptomata infert, ità curationem severam magis poscit.

§. 20. Signa crustæ lacteæ præsentis in sensus incurrunt & per se haud difficulter dignoscuntur, cujus suspicionem quoque præbent manus admotæ crebrius capiti, & frictio ungvibus tentata, capitis impatientis motus, scalpendi desiderium, ploratus frequens; quod si nondum adsit malum illud, futurum hoc dicta signa indicant & causæ quæpiam simul inducunt, nisi etiam his sordes mordentes, pediculi, ac neglecta cura capitis ansam simul præbeant. Imminentia lactumina eruptura à vitioso humorum apparatu patefaciunt semper glandularum in collo, cervice, & circa caput densè consitarum, item parotidum &c. tumores,

 adeò,

adeò, ut etiam præsentem crustam lacteam comitentur illi, & calor atque rubor interdum, qui abscessum vel raptum & eruptionem materiæ vitiosæ ad illa loca & per eadem indicat ac minatur. Futuri mali indicia quoque præbent non semper fallacia phænomena, à nobis causarum loco superius allata, quæ denuò jam repetere supervacaneum esse censemus. Ex malo qvippe istiusmodi causarum fonte vix bonus, sed inter alia illius mali effectus emergit. Præsentia lactumina digito qvasi demonstrant signa essentialiter inhærentia seu pathognomonica, ut tumor crustosus albicans, ex quo, presso præsertim, promanant liqvores modò tenuiores, modò crassiores. Essentialiter consequentia signa ostendunt illa pariter, siquidem successu temporis pruritus, & capitis tecti præsertim motus, impatientiæ testis, & extortum scalpendi desiderium, fœtor, odorque teter ex iis exhalans &c. observantur. Nonnunquam etiam pediculorum multitudinem, aliosve vermes sub crustis generatos autores annotarunt, ceu paulô ante vitiosum circulum vel nexum inquilinorum, & tectorum illorum fecimus mentionem; quamvis tandem ædes vel casæ non semper inquilinos alioqvin agnoscant vel contineant.

§. 21. Progrediendum quoque nobis est ad signa prognostica, ubi imprimis notari meretur; Lactumina sæpe non esse adeò periculosa, sed infantes à gravissimis affectibus vindicare, videlicet epilepsia, asthmate, catarrho, tussi, lienteria, scrophulis & gibbositate, uti *Hucherus in libro de sterilitate* notat, & *Hippocrates de morbo sacro ait:* Qvibus erumpunt ulcera in caput & in aures & in reliqvum corpus, & qui salivosi sunt, & mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillime degunt, comitiali morbô non prehenduntur. Idem hoc confirmatum est *ab Avicenna* de epilepsia. vid. exemplum ap. *Tulpium in observ. med. Lib 1. cap. 8. pag. 17.* Non ab-

simile

simile malum vel porrigo in capite Casparis Barlæi insperatò erumpens ab inveterata cephalalgia illum liberavit teste eodem *Tulpio loc. cit. obs. 32.* Ita *Magn. Wedelius in Pathol. dogmat. p. 424. scribit:* lactumina quidem mala esse, ut signum, quatenus lac acrius & nutrimentum recrementitiis particulis infarctum & infectum notant; ut causa tamen bona sunt, quatenus separatione ad extra facta, sicque defecata M. S. quoad cætera bene habent infantes. De hujus modi etiam necessitate evacuandorum humorum vitiosorum pro infantum & puerorum sanitate conservanda *Nobilissimus Dominus Præses* aliqvoties *in prælectionibus suis de infantum ac puerorum morbis egit.* Non abjiciendi itaque sunt cum vanno vel lavacro sqvalidi infantes, ceu Germani nostri monent, sed levis illorum calamitas, scilicet salivatio crebra, vomitus, sudor, aut excretio alia varia, moderata tamen, & æqva Medici prudentis & cauti lance probata, tolerabilia magis sunt, quam graviora mala, quibus pueruli sine illis alioquin forent expositi. Nam ex adverso observamus, infantes, qui foris magis nitent, quòd sæpius valetudinarii & Ægyptiis sepulchris vel pomis Sodomæ, alioquin fallacibus reputatis, similes observentur. Collecta enim intus in capite vel reliqvo corpore vitiosorum humorum colluvies multorum malorum ansam præbere pollet. Spontaneæ tales evacuationes variæ, vel suppressæ, & in alia mala majora interdum mutatæ Medico suggerunt varias notas practicas observandas, quamvis eas non semper indifferenter, & sine cautione ubivis per imitationem adhibere valeat (licet naturæ ministrum se profiteri velit) hujus naturæ digito indicata auxilia. Natura enim alioquin nullo ductore didicit rectè agere, quam Medicus non accuratè fortassis semper intelligens difficulter ubivis aut semper imitatur.

§. 22.

§. 22. Salutem & mortem quod attinet, lactumina suspicione altiori vacua, per se & sibi relicta præservant communiter corpus à variis affectibus, quibus alioquin, (propter vitiosos humores per alias vias non excretos) obnoxii forent pueri, uti jam ante fuit dictum; sed si vel sponte lactuminum materia retrocedat, idque aeris frigidi, aliusve adminiculô fiat, vel retropellatur ab adhibitis intempestivè quibuscunque topicis, tuncpluries indepessima extiterunt & pernitiosa mala, imò mors sæpe ipsa præmatura subsecuta est; quoniam ab externis ichores vitiosi & acres ad interiora & nobiliora viscera repelluntur, qvæ sangvinem aliosque humores, si non antea fuerunt corrupti, contaminant, atqve malis variis, uti & morti, viam sternunt. Ita *Carol. Piso in observ. de morbis prætervisis pag. 191.* annotat puerulum ab achorum, à toto capite manantium suppressione, repressioneque tam intempestiva, quam refrigeratium abusu medicamentorum, à pharmacopola per unum alterumque mensem applicatorum, asthmate intermittente correptum fuisse. *De morte à mercurialis ungventi litu Miscell. Acad. Leopold. Cæs. Dec. 2. An. 8. Obs. 114. in scholio p. 255.*

§. 23. Ratione longitudinis & brevitatis notandum, quòd, sicuti diversæ lactuminum sunt species, diversum etiam eadem durationis tempus agnoscunt. Sic achores celerius, favi tardius curantur; quia excrementum horum crassius minusque dissipabile, illorum verò tenuius existit; si accedant iis incrementa ex cibô, potu, aliisve causis pluribus, in præcedentibus à nobis traditis, finis vel duratio major præsumenda erit. Deinde recentia lactumina facilius curabilia sunt, confirmata vel inveterata verò difficilia magis curatu præsupponuntur, imò propter pertinaciam suam ista interdum redeunt. Adultiores, si non à contagio hoc malum, sed suorum humorum dispositorum vitiô

con-

contraxerunt, & si illud latius serpat in corpore, difficilius curantur, longèque pejus & gravius affliguntur ipsis puerulis. Durat quoque crusta lactea aliquando sat longo tempore, sed progressu ætatis, plerumque bonitate eluctante naturæ, sponte disparet.

§. 24. Modum eventus quod spectat, si nimis diu durant lactumina aut malè curantur, aut si sponte & intempestivè, sive à medicamentis præpostere adhibitis retrocedunt, utplurimum in defluvium capillorum, & pro materiæ majori vel minori pravitate in illud modò benignius, modo deterius evergunt. Fit quoque ut ex dicta causarum sævitia & diuturnitate hoc malum abeat modo in tineam, alopeciam sive ophiasin, modò in exulcerationem penetrantem, quæ usqve ad carnem & ossa quandoque pertingit. Supersedeo vitandæ prolixitatis majoris ergo, alia mala plura, ex istius labis principio leviori oriunda, congerere, veluti tristia talia exempla passim ab autoribus annotata videri possunt. Observavimus & nos infantem hac crustâ prius laborantem, aëri autem frigidiori nimis expositum, propter repulsam materiam peccantem, primasque suæ excretionis vias occlusas, epilepsiâ lethali correptum. *Ettmullerus in Valetudinario infantili p. 27.* etiam aliud exemplum tristis eventus habet. Cranium corrosum ab istiusmodi malo in puella rustica vidit Exc. *Dolæus in encyclop. lib. 6. cap. 11. p. 1021.* Addi his potest laudatus à nobis in præcedentibus *Tulpius*, & *Willisius de morb. convulſ. cap. 3.* aliique plures. Celeberrimæ famæ Medicus & Prof. jam Witteberg. D. D. Georg. *Franckius in Agonismat. Physic. medic. 5. §. 1.* (quod cum reliquis agonismatibus fortassis proximè recusis literatus videbit orbis) fusius de sinistro eventu curationis intempestivæ, & metaptosi hujus affectus flebili in majora atque deteriora mala erumpente plenius agit. Dehinc

hinc salutaris eventus magis sperandus est, si adhibitis genuinis remediis materia excrementitia expellatur & corrigatur prius internis medicamentis, & si diæta congrua, aliaque necessaria simul observentur.

§. 25. Expositis hactenus iis, quæ ad theoriam lactuminum faciunt, proximum erit, ut ad curationem nos convertamus, quæ methodô medendi & præsidiis absolvitur medicis. Methodus medendi tribus nititur indicationibus, curatoriâ, præservatoriâ & vitali. CURATORIA ipsam crustam respicit & lacunam, invisam istam crustam eructantem, quo muriaticus ichor imminuatur & corrigatur, ac tubercula ista sive ulcuscula internorum atque externorum medicamentorum legitimò usu tollantur, & cuti conditio sua legitima restituatur, ut hac ratione omnia in statum naturalem ac meliorem reducantur. PRÆSERVATORIA causas procatarcticas & προηγουμένας attendit, ut humorum vitiosorum scaturigo maturè avertatur, corrigatur, obduretur, atque ita futurum istud malum elidatur; præsupponimus verò prudentiam medicam hoc loco medicamentorum, ætatis, aliarumque circumstantiarum rationem cautam habentem. VITALIS illa ratio non solum viscerum tono et integritati prospicit, atque metuenda majora mala avertit, sed etiam symptomatibus urgentibus mineram subtrahit, & vires integras ægri tum per alimenta εὔχυμα, tum per medicamenta convenientia, conservare annititur. Præsidia verò huc facientia è tribus notis fontibus desumuntur, nimirum chirurgico, pharmaceutico & diætetico.

§. 26. Chirurgia offert priscorum monitô sangvinis missionem, qvoniam autem nostris in locis minus frequenter aut salutariter admittitur in infantibus, ideoque abstinemus rectius ab illo curationis auxilio, præsertim si alia

illius

illius locum ſupplere poſſint, & exteris nationibus liberalem magis dictam V. Sem. committimus, ſi juvantium, non vero lædentium in claſſe eandem exiſtere verè deprehendant. Sin vero cruſta talis occupaverit adultos, venam citius ſecare licebit, nec tamen ſine omni diſcrimine, & ſi ſuſpicio exulet quod non retrò promtius, circulo ſanguinis, per vaſa evacuata ſimul vitioſa materia rapiatur ac vehatur. Poteſt autem citius admitti V. S. ſi cum cacochymia humorum ſimul adſit plethora. Fatemur verò haut inviti cum *Helmontio*, quod forſan ad ſcabiem aliam æque, ac ad hanc capitis prompte curandam, non adeò multum conferat illud præſidium, pari modô atque purgantia indifferenter adhibita, nec ſine ſpecificâ qualitate ſimul dictis malis oppoſita. Si morbus magis caput depopulatur, monet *Avicenna*, ut vena capitis incidatur, aut vena frontis, aut venæ poſt aures. Qvod ſi morbus in univerſum corpus graſſatur, erit vena pedum vel etiam bracchii communis tandem pertundenda, nec non, habita virium ratione, copia ſangvinis extrahenda. FRICTIONES à laudato *Avicenna* recenſentur, ut fiant ſcilicet aceto & ⊖e; cum verò pueruli majori ſemper, qvâ poteſt, lenitate ſint tractandi, & frictiones tales ipſismet, propter pruritum ſæpe præſentem, cruciatus, novique mali augmentum excitent, potius illæ omittendæ quam admittendæ ſunt, niſi diſparentis illius mali, & in pejora tranſeuntis, revocationem eâ rationequis moliatur. Reliqvarum operationum chirurgicarum, niſi fortaſſis cucurbitularum, hoc in caſu paulò rarior vel nullus eſt locus, unde non attinet, longius illis immorari.

§. 27. EX FONTE PHARMACEUTICO ſeſe oſtendunt PURGANTIA, & quidem in adultioribus varia illa, imprimis autem hydragoga, & quæ impuris iſtiusmodi & ſimilibus cutis vitiis laborantibus conveniunt, ut ſerum qvantitate & qvalitate peccans è corpore partim ſe-

cernatur, partim corrigatur: quo fine possunt adhiberi helleb. niger, gialapp. ☿dulc. ♃iata itidem habent locum, veluti leviter detonatum ♁ pulv. Comit. de Warvvich sive Cornachinum, congruum in hoc affectu constituit. Porro locum habent polypodium, aloë, rhabarb. senna s. s. &c. ex quibus variæ formulæ conscribi facilè possunt v. g. pueris pro ætatis ratione præscribi possunt hujusmodi sequentia non admodum ingrata vel magna dosi: ℞ *pulv. gialap.* ℈ß. ☿*ij dulc. gr. ij.* ♁ *diaph. gr. iij. sirup. de polypod. q. s. M.* ℞ ▽ *acaciæ, fœnicul. āā* ℥jß. *pulv. comitis de Warwich gr. vj. resin. gialap. gr. v. sirup. rosar. solutiv. simpl.* ʒß. *M. D. in fictili S.* Purgier Tränklein auf einmahl. ℞ *herb. agrimon. scabios. veronic. āā* mß. *summit. fumar.* mj. *flor. violar. rosar. sambuc. acaciæ āā p. j. fol. sennæ s. s.* ℥*iij. rad. gialapp. resinos.* ʒ*vj. rhabarb.* ʒ*ij. sem. anis.* ℈j. *concis. & contusa F. species, quibus adde crem.* ♀*i albiss.* ʒ*j. insuantur sacculo lineo, & infund. in seri lactis* ℔*jß. stent in infusione per* ☽*, mane coqve leniter & asserva in cella. S.* Purgier Büschlein / davon alle morgen ein Weinglaßlein ausgepreßet zunehmen / si alvus laxa aliqvoties unicam illam dosin sequatur, non opus est repetenda dosi aliâ eodem die, quo alioquin denuò ista sumi potest, ut ter aut quater promoveantur sedes; subsequentibus seu alternis diebus eadem intentio pro necessitate urgente & sedium numero necessario provocandarum repeti potest.

§. 28. Interdum non solùm infans, sed & nutrix imprimis evacuanda est ab ejusmodi peccantibus humoribus. In infantibus & puerulis equidem purgatio frequens magis fit, quàm nimis vehemens semel tentata, ob ætatis infirmitatem & mollitiem; potest itaque vel *manna, vel passulæ laxativæ, vel sirupus de senna, vel pulv. gialapp. cum cinnab. nativ. in sirupo de fumaria propinari*, & per intervalla semel iterumque repeti. In officinis prostat etiam *sirup. de rha-*

rhabarb. solutivus, *sirup. rosatus solutivus compos. helleboratus Montani*, quorum exigua portio v. g. ℈j. pro re nata puerulis in ▽ *scabios. fumar.* &c. solvi atque porrigi potest. Corpusculis teneris, pro ratione ætatis, applicari quoque possunt *clysteres*. Nutrix autem, si corpus impurum habet, æquè purgetur; nisi enim id fiat, omne illud vitium cum lacte in infantes derivatur, & malum augetur. Quapropter inservient iis, quæ à nobis antea sunt laudata & proposita, nodulus præsertim pro usu aliquandiu continuando. Insuper notetur, si nutrix sola sit purganda, ut prius infans lactetur, quam purgans assumatur, deinde aliquandiu infans alii nutrici committatur, & lac ex mammis à catello extrahatur, usque dum aliqvot horæ post assumtum pharmacum præterfluxerint; nisi consultum sit aliquid lactis illius medicati concedere simul lactenti.

§. 29. *Emetica* videntur usus alicujus, pro salina vitiosa materia in ventriculo hærente, & chylum ac fermentum corrumpente, eliminanda, modò annuant virium status aliæque circumstantiæ, ubi instar omnium ♀ *emet. cum aliis* legitima dosi adhiberi facili negotio potest, in antea recensitis vehiculis.

§. 30. SUDORIFERA hoc in affectu valde utilia existimantur, non tantum, quando corpus jam probè sit purgatum, præsertim quando ulcera hæcce sponte evanescunt, aut △e frigidô transspiratio insensibilis impeditur cum mali causa retrocedente, nec sine periculo, vel morbis imminentibus, tunc materiæ expulsio propero nisu promovenda est per diaphoretica efficacia magis v. g. *pulv. bezoard. viperinum seu bezoardicum animale*, *cephal. Michaelis*, *cui non nihil* ⊖ *vol. viper. c. c. aut flor.* ⊖✳ *ci admixtum sit*, *essent. lignorum*, *fumar:* ♎ *c. c. liqv. c. c. succin. essent. castor. volat. tinct. bezoard.* ♎ ⊖✳ *ci*, *tinct.* ♃ ♀ *isa-*

 tam.

*tam.*Excell. Dn. Præſes pronuper puerum 7. annorum, cujus in capite tubercula plurima cum pruritu & calore juncta, ut & in glandularum majorum locis indicia eruptura cruſtæ apparuerunt, liberavit ab iſto malo, uſu ſequentis miſturæ: ℞ *elix. propr. ſine acido præp.* ℥j. *eſſent. fumar.* ℥ij, āā ℈ij. *M.D. in vitro, S.* Zertheilend und innerlich ausheilende Mixtur.

§. 31. Sin vero malum illud oculis pateat, nec indigeat expellentibus, ſed potius mundificantibus, alterantibus & conſolidantib9 &c. illa ita ſint comparata, ut impurum ſangvinem corrigant, ejusque ⊖inam, corroſivam ac dolorificam qualitatem, nec non affluxum infringant, obſtructiones viſcerum aperiant, eademque roborent, & conſolident loca ulceroſa. Inter hæc præcipua ſunt *rad. helen. ſarſapar. glyzyrrh. lign. gvajac. herb. agrimon. ſcabioſ. plantag. card. ben. fumar. quæ ultima* alioqvin in impuritatibus ſangvinis eſt laudatiſſima; gaudet enim virtute abſterſiva, ſaponaria egregia, item bacc. laur. præterea *anima rhabarb. tinct. ♂ales, elix. propr. item bezoardica temperata* ſupra commendata, & tandem ſine activis admodum & volatilibus admixtis. Sunt porro proficua *cinnabarina & ☿lia ſcilicet ☿dulc. diaphoret. bez. min. ad gr. ij. iij. aſſumenda.*

§. 32. Poſtquam corpus ritè præparatum fuit dictô modô, deveniendum eſt ad medicamenta *localia ſive topica,* in quorum uſu ante alia conſiderandum erit, an morbus ſit recens, an verò inveteratus. Si in principio fuerit, & quando malum per contagium contractum fuerit, nec admodum radicatum, externis ſtatim datur locus. *Ungventum pomatum* ſæpe in cruſta levi labiorum & narium litu adhibetur. Commendantur præterea *folia ſalicis, myrti, hederæ, bacc. alkekeng. fructus lentiſci, rubi, cortex pini,* ex quibus in oxycrato coctis lotiones & fotus concinnentur; *litharg. cadmia, creta, ∇ Lemnia & Samia pulveriſata affricentur,*

tur, vel oleô rosatô & myrtinô, paucoque acetô excepta illinantur. Ante omnia vero capilli ſunt abradendi, aliàs non admodum commodè medicamenta applicari poſſunt.

§. 33. Deinde notandum, cruſta ſi fuerit ſiccior, illi non integræ aut latæ ſimul ſed anguſtæ parti & ſpatio ſenſim *humectantia & ungvinoſa* applicari debent; v.g. ☍ *amygd. dulc. lil. alb. butyrum inſulſum recens*, quibus ſingulis veſpertinis horis cubitum eundo ungatur locus affectus, altero mane verò caput infantis lavetur *brodiô piſorum vel cicerum.* Valet etiam hoc in ipſa tinea; item *pinvedo viperina, ungvent. roſat. & iat. butyrum ▽ roſarum lotum, ungv. renovat. ex pingv. viper.* ☍ *amygd. dulc. &* ☍ *bezoard. Magnif. D.D. Wed. cum ungvent. camphor. refrig. Galeni &c.* ut emollitione priûs factâ cruſtæ decidant, & cutis hoc tectô liberetur. In adultis etiam lotiones emollientes ex dictis veget. & addendis *rad. oxylapath. herb. fumar. ſaponar. flor. chamom. roſar. fœni Græc. furfur. ut* & alia abſterſoria poſſunt adhiberi; quæ verò in tenerioribus ſubjectis non ita adhibendæ videntur, talis enim lotio non ſemper eſt tuta, ſed facilè lethifera fieri poteſt. Imprimis verò frigidus aer à tali lotione arcendus, & in loco tepido peragenda; caputque tepidis linteis, vel lectulo muniendum eſt. Lotiones etiam ex nicotiana, pulverisve ejus inſperſiones, ab aliis licet commendentur, vitentur, ebrietatem enim turbulentam, anxietates præcordiorum cum lipothymiis, vomitus & copioſos ſeceſſus ſuperveniſſe talibus obſervatum eſt *à Boyleo experim. philoſ. p. 211. & à Febrio tr. de abſynth. p. 90.* Sin autem humidior fuerit cruſta, exſiccantia in uſum trahantur, v.g. pulv. *ex lap. calam. flor.* ♎*, ceruſſ. pomphol. ſale* ♀*, creta, lacte lunæ, ſuccino, myrrh. Præ cœteris* ♂ *ex ejus* ⊕*lo per lixivium ſalis* ♀ *præcipitat. & probe edulcoratus, ex nodulo leniter inſperſus mirabilis exiſtit.* Imò ſi huic tantillum ſalis ♀, quan-

tum

tum nempe sine doloris sensu perferri potest, & imprimis si contumaciores fuerint, aut subinde repullularint defædationes dictæ, consultò permiscetur. His enim adhibitis, & absorpto ⊖siori peccante sero, sponte successivè coibunt ulcuscula, idque citra ullum recidivæ metum, uti hoc deprædicat *B. Ettmull. l. c. p. 46.* Si quis expetat decoctum aut lotionem, sequentis vires experiri potest: ℞ *rad. lapath. aristoloch.* ãã ℥ß. *herb. fumar. saponar. c. b.* ãã mß. *mastich. thur.* ãã ℈j. *myrrh.* ℈ß. ☿ *dulc. gr. Xij. Coq. in* 🜄 *font.* ℔j. *cui expressæ adde tinct.* ♂*tis* ☉*ris* ʒj. *M.* qua leniter tangatur pars affecta. Sola illa *tinctura etiam* 🜄*æ rosʃ. vel font.* ℔ß. *admixta tentari potest.* 🜄*æ* ☿*les*, ☿ *sublim. ipse* cum aliis mixtus conveniunt equidem in hac & aliorum exanthematum curatione, verum nequitia illorum & sinister eventus, præsertim in capitis malis, ubi non satis constat de œconomia reliqua corporis, deterret nos, ut non magnâ confidentiâ audeamus eadem commendare; Non rarò enim epileptica, imprimis in tenerioribus corpusculis inducunt symptomata, uti *Timæus testatur respon. 43. p. 106.* Ast si malum sit rebelle magis, exigua portio aliis rebus admixta, præsertim ☿ dulc. & quidem pedetentim ungendo exiguum locum illius mali, admitti potest. *Galenus solâ chartâ combustâ aceto dilutâ parti affectæ illitâ,* plurimos curavit, veluti quoque *variarum rerum cineres,* ⊖*ia & lixivia alii dilaudant. Aliàs etiam nasturtium frixum vel tritum cum axungia porci commendatur. Item saliva hominis jejuni illini potest. Forestus sequens arcanum ponit:* ℞ *butyri* ⊖*iti, axung. porcin.* ãã ℥i. ♆ ℥ß. ☿*ij vivi saliva extincti* ʒj. ⊕*li crudi* ℈j. *Butyrum, axung. &* ♆ *seorsim* liquentur, deinde reliqua addantur. Adhiberi etiam possunt. *ungvent. aureum, de lithargyr. liqvirit.* ☿*ale Aug. cujus ultimi parca portio, vel illius loco nonnihil* ☿*ij dulc. vel* ⊕*li* ♂*is mineræ Hassiacæ* prioribus

aliis-

aliisve admisceri potest. Laudatur etiam in *Jul. Cæs. Baricelli Hortulo Geniali p. 46. & Antonii Grandii curioso rerum abditarum naturaque arcanorum perscrutatore p. 39.* qui titulus cur eidem tractatui priori falsò, vel cujus incuriâ, injuriâ sive malitiâ (pessimô seculi more fere invalescente) sit præfixus, ignoramus. Laudatur inqvam *linimentum ex* ☍*eo* paratum, in quo ad exactam coctionem *bufo seu rana terrestris* ebullierit; nam hoc simplici remediô quidam achoribus tineisque, quibus multos annos turpiter affectus, & cui varia fuerunt applicata remedia, omnia tamen inutiliter, propter morbi resistentiam, per paucas ♂ in capite utens sanus & capillatus factus est; electè quoque ex pharmaco prius æger ille purgatus fuit.

§. 34. Crusta oculos si attigerit, unde visus possit impediri, utendum sq. medicamentô. ℞ *lactis optimi alicujus mulierculæ*, ▽ *ros. ā ā* ℥*j.* quo abluendi oculi. Si cranium ab ulceribus læsum sit, inquit *Sennertus in praxi*, primò crusta detrahenda & emollienda *malva & violaria in butyro majali decoctâ, vel axungiâ, postea eluenda, & exsiccanda ulcera lixivio é cineribus vitis, fagi, fraxini, additô butyrô.* Ubi cranium apparet, adhibendum *mel rosat.* cui *spir. vin.* aliquid additum sit, postea eidem *pulv. rad. aristol. & balf. Peruv. vel thereb.* ▽ *vel succô nicotianæ cocta*, addi potest. In fine curationis ut consolidatio sine metu recidivæ eò melius promoveatur, potest propinari. *essent. travmat. cum essent. lignor.* item *unicornu foss. croc.* ♂ *tis, ocul. 69. præp. succin.* & quæ supra interno usui commoda duximus & diximus.

§. 35. Agmen claudit *Diæta*, cujus ratio in nostro affectu maximè attendatur. Primus enim curandorum lactuminum scopus respicit victum nutricis & ægri, ut nempe cacochymiæ sit contrarius. Nam in nutrice, errore diætæ factô quocunque, lac statim illius luit pænam, dum in

quantitate modo, modo in qualitate mutatur, & quia pueri toti fere consistunt ex lacte, consectarium est, ut dictæ qualitates vel effectus lactis se quoque exerant in iisdem. Diæta autem ab Autoribus communiter dividitur *in naturalem, vitalem* & *animalem*, itaque observanda veniunt in *Naturali*, quæ cibum & potum concernunt, atque ille eligendus est uterque boni nutrimenti, vitiique immunis, v. g. carnes vitulorum, hædorum, pullorum gallinarum cum lactuca vel endivia coctæ, oryza, alica, ptisana. *Avenzoar* monet, ut caveant nostri ægri usum portulacæ, quoniam hæc herba propriâ quâdam facultate hunc morbum augeat. Abstinendum est deinde à cibis vitiosos humores generantibus, scilicet ⊖sis. acribus fumôque induratis, carne suillâ, anserinâ & aliâ pingvi carne; caseo acri, piscibus, ovis assis & frixis, sinapi, cæpis, raphanis, allio, leguminibus & aliis fructibus crudis. Aceti quoque usus damnatur à *Galeno*. Potus sit moderatus, cerevisia tenuis & defecata; ast vina generosa & fortia sedulò sunt cavenda, quæ planè non lactantibus ac lactentibus congrua testatur non simplex experientia. In lactantibus sæpe consultum est, ut nutrix ipsa permutetur cum meliori, si scilicet ejus intemperies minùs corrigi potest. In adultioribus pro potu ordinario potest inservire decoctum ex lign. sanct. sassafr. rad. enul. herb. scabios. saponar. veronic. pyrol. c. b. fumar. &c. In omnibus omnis voracitas interdicetur. *In vitali Diæta* aër eligatur temperatus, nec ullo excessu noxio peccans, præsertim frigidus, quò pori cutis aperti serventur, nec materia intempestivè retropellatur; aut nimis agilis & acris eadem reddatur à calore loci, anni, vel temporis, omnis item aër humidior, qualis circa ver & autumnum existit, sedulo caveatur & △e culinari corrigatur; alioquin æque malum hoc, ac catarrhales affectus alii eo tempore, magis me-

tuendum est. *Animalis* suadet somnum & vigilias mediocritatem servare, si enim somnus sit nimius, humiditas ulterius propagatur. Quies etiam magis approbatur in nutrice quam motus. Alvus semper sit aperta, aliàs humores acrimoniam & omnis generis vitia contrahunt. Animi pathemata in nutrice, imprimis verò ira, contentio &c. sedulò fugienda sunt. *Venus quoque limitibus suis septa contineatur, si non planè ferias aut inducias admittere queat.* Paucis: *Vitentur omnia, quæ supra in causis allata sunt, quæ humores pravos, acres & huic malo producendo idoneos gignunt.*

§. 36. Hæc sunt L. B. quæ pro ingenii modulo proponere voluiatque valui, si qvæ forsan intermissa sunt, id humanum, & juvenili præsertim, si non alii qvoqve ætati proprium reputes; revoca insimul illud tritum in animum: Qui nunquam malè, nunquam benè. Si Praxi atque judicio uberiori me beabit imposterum summus Archiater, meliora quoque his præsentibus polliceor. Interim

SOLI DEO GLORIA.

NOn minimi res est momenti posse mederi,
quorum subtilis machina membra regit.
Tu laudem meritus tenerorum corpore claram,
haut minor & reliquo nomine stator eris.

Honoris & gratulationis votivæ ergo deproper.

GEORG. WOLFFGANGUS WEDELIUS.

Es sagte nechst der Neid:
Es ist itzt schlechte Zeit
O Fürstin der Arzney! Was du so lang ernehret
mit deiner Weißheit Milch/ setzt schlechte Nah rung an/
und will die Milchbord' erst/
der iedes altes Weib leicht wehret/
auff deinem Lehrstuhl führen auff!

Geh!

Geh! denck auff Flucht und Lauff!
und setz den faulen Zahn
du alter Höllenhund wo anders ein!
(ward ihm zur Antwort.) Henget schon
der Ansprung nur den Kindern an/
ist doch Herr Schultzens Fleiß fürwahr kein Kinder-Spiel.
Er trifft das Ziel!
drum soll auch seyn sein Lohn/
daß er dereinst erhaben stehet
auff jener Bahn/
woselbst die Sternenmilch
den grossen Beer und den Bootes nehet/
und wo dein fauler Wind kein Stäublein mehr verwehet.

Hiermit wüntschte seinem von unterschiedlichen Jahren her beständig fleißigem Zuhörer zu diesem Vorhaben Glück.

M. L. Schelhammer D. P. P.

INfantum morbum trutinans puerilia nulla
Tu peragis, magis id Te probat esse virum.
Adde Tuis Studiis porro incrementa medendi,
Tempore sic patriæ proderis atq; Tibi!

Paucis his Domino Autori de specimine suo hoc gratulari, felices successus atque finem studiorum suorum precari voluit

PRÆSES.